

2^o Litteras s, p, m, c, designare modum quo fit reductio modorum ultimarum figurarum ad quatuor modos primae figurae. Ista regula *reductionis* versibus sequentibus comprehenduntur.

S. vult simpliciter verti; P. verò per accid.
M. vult transponi; C. per impossibile duci.

Seu alias verbis, S. indicat conversionem simplicem propositionum; P. conversionem per accidens; M. significat mutandas esse premissas, ita ut ex majori fiat minor; littera C. in medio vocabuli posita indicat syllogismum non posse reduci directè, sed solum indirectè. Duplex enim est syllogismi reducere :

Alia, quæ dicitur *directa seu ostensiva*, est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum. Imperfecti sunt syllogismi omnes qui non pertinent ad primam figuram directam, dum syllogismi primæ figuræ dicuntur perfecti, quia clare et directe inferunt conclusionem.

Altero reducere, quæ dicitur *indirecta*, seu per *deductionem ad impossibile*, habetur quando adversarius ad admittendum absurdum, scilicet duas contradictorias esse simul veras, cogitatur, si nolit admittere syllogismi dati consequiam.

79. — Ut aliquod pro oculis habeamus exemplum reductionis syllogismorum, sit, v. g., syllogismus sequens in *Dariapl* convertendus :

A. *Omne animal est sensu præditum*,
(III. fig.) A. Atqui *Omne animal est substantia*;
I. Ergo aliqua substantia est sensu prædicta.

Littera initialis D. indicat hunc syllogismum tertiae figure reduci debere ad syllogismum *Darii* primæ figure, nam initiales designant modos correspondentes in diversis figuris. 1^o Vocalis A nulla afficitur littera que aliquam indicat conversionem aut mutationem. Sed 2^o vocalis A littera P. afficitur, quæ notat conversionem per accidens; hinc propositio minor debet converti, et sic habemus : *aliqua substantia est animal*. Tandem 3^o vocalis I nullum afficitur signo aliquam conversionem aut mutationem indicante, ac proinde ultima propositio eadem remanet reductione perfecta, et sic exurgit sequens syllogismus in *Darii*

I. § 2. A Omne *animal* est sensu præditum;
I. Porro aliqua substantia est *animal*,
I. Ergo aliqua substantia est sensu prædicta.

In hoc syllogismo medius est subjectum majoris et attributum minoris, ac proinde conclusio est directa, et syllogismus pertinet ad primam figuram.

Omnes ejusmodi preceptiones in praxi non maximam habent utilitatem, unde historice memoranda causa a nobis breviter referuntur.

ARTICULUS IV.

De variis speciebus argumentationis non simplicis.

80. — Quedam dantur argumentationes quæ a simplicitate aut integritate syllogismi simplicis, qui propositionibus simplicibus tantum constat, aliquantulum desciscunt. Iste argumentationes ad duplum classem revocari possunt :

1^o Sunt argumentationes quæ tribus tantum coalescent propositionibus, et sic formam essentialem syllogismi explicitè referunt; sed alterutra aut utraque premissa est propositio composita; hinc constituant syllogismum *compositionem*.

2^o Quedam sunt argumentationes quæ tūm duabus tūm quatuor, quinque, etc., constant propositionibus; constituant ergo rationem argumentandi magis recendentem a formā syllogismi simplicis, qui haberi debet ut paradigmā argumentationis, seu argumentationem Kar. εξαγωνοῦ exhibet.

§ I. De syllogismo composito.

Tres sunt species syllogismi compositi : conditionalis, disjunctivus, et conjunctivus.

1. De syllogismo conditionali.

81. — Syllogismus *conditionalis* ille est ejus propositionis major enuntiat judicium hypotheticum; una pars hujus propositionis conditionalis affirmatur in minore et altera in conclusione; aut contra, una negatur in minore

et altera in conclusione; v. g. Si homo est justus, habebit vitam eternam : 1^o Atqui est justus; ergo habebit vitam eternam : 2^o Atqui non habebit vitam eternam; ergo non est justus.

Hie duplex modus, quo syllogismus conditionalis recte concludit, dicitur in scholis, primus, *modus ponens*, et alter, *modus tollens*.

Prima pars propositionis conditionalis dicitur *antecedens seu conditio*, dum alia pars dicitur *consequens aut conditionatum*.

82. — *Regule syllogismi conditionalis.* I^o regula. Si affirmatur antecedens in minore, conclusio debet affirmare consequens, secum non esset nexus inter conditionem et conditionatum; Ex. : Si furtum facios, punieris; atqui furtum facies; ergo punieris.

II^o regula. *Negatio consequentis in minore negationem antecedentis in conclusione importat*: etenim si conditionatum non verificatur, patet conditionem non esse positam. Ex. si dies est, luet; atqui non luet; ergo non est dies.

III^o regula. *Ex negatione antecedentis nihil sequitur*, siquidem in aliis conditionibus consequens posset verificari.

IV^o regula. *Ex affirmatione consequentis nulla pariter eruitur conclusio*. Nam consequens posset esse verum quoniam antecedens sit vera conditio :

Ex. : III^o legis : Si Petrus loquitur, vivit;
Atqui non loquitur; (perperam concluderetur) :

Ergo non vivit; vel ergo vivit.

Ex. : IV^o legis : Si Petrus loquitur, vivit;
At vivit; (non possumus etiam legitime concludere) :

Ergo loquitur, vel ergo non loquitur.

II. De syllogismo disjunctivo.

83. — Syllogismus dicitur *disjunctivus* quando premissam aliquam continet disjunctivam. Ex. : Petrus dor-

mit, vel vigilat; atqui vigilat; ergo non dormit; atqui non vigilat; ergo dormit. Hinc illius sunt due forme quæ in scholis dicuntur: 1^{as} *ponendo tollens*, et 2^{as} *tollendo ponens*. Ex affirmatione unius membra disjunctionis concludimus ad negationem alterius, et vice versa; et idcirco duas sunt regulæ :

I^o regula. Si Minor unum membrum affirmat, aliud vel alia membra *copulativa* negantur in conclusione.

II^o regula. Si minor negat unum membrum disjunctionis, alia membra *disjunctiva* affirmantur in conclusione.

Ratio harum regularum in eo est quod praedicata exprimit omnia genera ad quae subjectum referri potest: si uni refertur, non ad alia; si ad alia, non ad illud.

III. De syllogismo conjunctivo.

84. — *Syllogismus conjunctivus* ille est in cuius antecedente propositio conjunctiva ponitur.

Regulari hujus syllogismi ad duas revocari possunt.

I^o. Ex positione unius partis inferuntur exclusio alterius.

II^o. Si excluderetur una pars in minore, altera pars deberet poni seu affirmari in conclusione, dummodo non sit medium inter membra enumerata. En exemplum: Petrus non potest simul Parisiis et Romæ esse; 1^o atqui hodie Parisiis est; ergo non est Romæ. — 2^o atqui hodie non est Parisiis; ergo... nulla est conclusio, quia distributione non est completa, siquidem preter civitates enumeratas sunt multæ alia loca in quibus degere potest Petrus.

In syllogismo sequenti, qui habet distributionem completam, ex negatione unius membra rite inferuntur affirmatio alterius: nemo potest Deo servire et diabolo: atqui Judas Deo non servit; ergo diabolo.

§ II. De aliis formis argumentandi quæ externa specie à syllogismo magis recedunt.

85. — I^o *De enthymemate*. Enthymema, e vocibus grecis ενθυμητος deponitum, nihil est aliud quam syllogismus mutulus, cuius scilicet minor aut major retinetur. Dubius tantum constat propositionibus, quarum una inferitur ex alia.

Ex : Animus est spiritualis; ergo et immortalis.

Præmissa quæ reticetur, facile deprehenditur, si consideretur utrum duorum extremorum in antecedente reperiatur: Si extreum quod exprimitur, constituit attributum consequentis, propositione expressa erit major; secūs erit minor. In exemplo superiori dato, propositione subiecta est major, nam extreum quod continet propositione expressa, seu *animus humanus*, constituit subjectum conclusionis.

86. — 2^o *De Epicheremate*, Epicherema, græcè, επίχερεμα, est syllogismus cuius alteri præmissæ vel etiam utriusque sua probatio subiectetur. Si uni tantum propositione subjungitur probatio, in duos syllogismos simplices resolvi potest; si utriusque præmissæ sua adjungeretur ratio, in tres syllogismos resolvetur epicherema. Exemplum superioris propositionem formam epicherematis induere potest: Animus humanus est spiritus, siquidem habet operationes que nullo pacto pendent a materia; atqui spiritus est immortalis, nam cum compositione caret, non potest dissolvi; ergo animus humanus est immortalis.

87. — 3^o *De Polysyllogismo*. Polysyllogismus est argumentatio in qua conclusio unius syllogismi assumitur tanquam præmissa alterius. In hac ratione argumentandi, unius syllogismi completo alter ita subiectetur, ut conclusio praecedens fiat præmissa sequentis. Idem exemplum formæ polysyllogismi accommodatur: Quod non habet partes, non est dissolutione obnoxius; atqui omnis spiritus non habet partes; ergo spiritus non est dissolutione obnoxius; atqui animus humanus est spiritus: Ergo non est dissolutione obnoxius.. Ut per se patet, polysyllogismus omnibus legibus syllogismi simplicis subiacet, proportionæ quod non est aliud atque syllogismus multiplex.

88. — 4^o *De sorite*. Sorites (græcè σορτίς; a verbo συνάζειν, cumulus), seu *accrētis*, ut nuncupatur a Cicerone, est argumentatio pluribus propositionibꝫ constans ita conexis ut attributum primæ fiat subjectum secundæ, attributum secundæ fiat subjectum tertie, et sic doinceps, donec formetur conclusio in qua subjectum primæ propositionis cum prædicato ultimæ copuletur. Ex.: Animus humanus est simplex; id quo est simplex caret partibus;

id quod non coalescit partibus dissolvi nequit; ergo animus humanus dissolvi nequit.

Ex definitione et ex proposito exemplo patet soritem esse rapscē syllogismorum acervum; potest enim sorites in tot syllogismos primæ figura resolvi, quot sunt præmissæ demptā unā.

Hæc forma argumentandi nititur hoc principio: Quidquid continetur in alio, contineri debet in iis omnibus, quæ hoc aliud includunt.

Regule soritis ad duas revocari possunt:

89. — 1^o reg. Non potest conflari solis præmissis negativis, immo inter præmissas affirmantes nulla negans debet reperiiri; nam etiam in hæc secunda hypothese, resoluto sorite, habemus aliquem syllogismum dubius negativis constantem: hinc, sive sorites efformetur meris negativis, sive inter affirmantes unicam contineat negantem, non posset dare conclusionem, juxta V^{am} regulam syllogismi.

II^o reg. Nulla præmissa in sorite sit particularis, nisi forte prima, et tunc conclusio sit particularis). Etenim cum sorites in syllogismos resolvetur, aliquis inventur syllogismus in quo medius bis particulariter sumetur, quod est contra IV^{am} regulam.

Præter has regulas, non dantur aliae quæ sint speciales; nam quando dicunt logici soritem propositiones falsas aut ambiguas, et omnem terminorum immutacionem repellere, dant regulam omnibus formis applicabilem.

89. — 5^o *De Dilemmate*. Dilemma ((διλέμμα, utrinque capio) quod a syllogismum disjunctivum reducitur, et ideo dicitur etiam *hypothetico-disjunctivum*, est argumentatio in qua ostenditur e duabus partibus aliecius disjunctionis unamquamque contra adversarium vim habere, et consequenter totam argumentationem concludere. Antecedens potest etiam tribus, quatuor, etc., constare membris, que singula contra adversarium valent: ex eo quod omnia membra concludunt, legitimè infertur totam disjunctivam ad concludendum admitti debere. Vis hujus argumentationis fundatur in natura propositionis disjunctivæ.

Ex. : Illud dilemma Tertulliani in suo Apologetico adversus Trajanum.

Vel nocentes sunt christiani, vel innocentes; si nocentes, cur inquiri prohibes? si innocentes, cur delatis ponam irrogas?

91. — Ut dilemma legitimè concludat, requiritur :

1^o *Ut disjunctio sit completa*, scilicet ut non sit medium inter membra disjunctionis, secutus effugium habetur adversarius.

2^o *Ut nou possit retorqueri*. Potest retorqueri dilemma quando singula membra ita possunt disponi, ut conclusio opposita conclusioni arguentis inferri possit.

ARTICULUS V.

De sophismatibus.

92. — Per sophisma intelligitur argumentatio quæ veri specimen pra se fert, licet ad falsum et absurdum adducat. Σοφία, artificium, astus, dicitur a sophistis : per sophistam enim intelligitur homo simulata sapientiam ostentans.

Schola post Aristotelem, seu fallacias *dictionis*, seu *in verbis*, ταχα της λέξεως, enumerant, et septem *extra dictio-*
nem, εἴω της λέξεως, seu *in rebus*.

I. De fallaciis dictionis.

Quoad fallacias dictionis due tantum, compositio et divisio, sunt relata dignæ :

93. — 1^o Est *sophisma seu fallacia compositionis*, quæ habetur quando fit transitus a sensu diviso ad sensum compositum.

2^o Est *sophisma seu fallacia divisionis*, quando fit transitus a sensu composito ad sensum divisum.

Hoc sophisma sensu compositi vel sensu divisi habetur, cùm infurter duo predicata, que aliqui subjecto simul competere non possint, negue seorsim ei competere posse ; seu alius veribus, cùm aliqui rei tribuitur in sensu composito aut collectivo, quod ipsi in sensu diviso seu distributivo convenit, aut vice versa.

Sint in exemplum verba Christi dicentis; Cœci vident, claudi ambulant. Haec verba vera sunt in sensu diviso : Qui olim erant cœci, nunc vident; nequitquā verò in sensu composito; nam non sunt simul cœci et videntes : esset fallacia compositionis.

Propositio sequens e contraria vera est in sensu composito, et falsa in sensu diviso : Apostoli Evangelium predicaverunt in toto orbe; si diceretur : Atqui Joannes fuit apostolus; ergo in toto orbe evangelium predicavit, illatio esse falsa, quia fieret transitus a sensu composito ad sensum divisum : haec argumentatio esset fallacia divisionis.

II. De fallaciis extra dictioñem.

94. — Ex fallaciis extra dictioñem, seu in rebus, quatuor sequentes sunt relata dignæ.

1^o *Ignoratio elenchi* (ab ἀγνῶσις, argumentum seu res demonstranda) quæ est illud vitium, quod in eo consistit ut quis nesciat aut fingat se nescire rem de qua agitur, ac proinde probet aut impugnet aliud omnino quam id quod in disputatione erat : per hoc ergo sophisma aliud evincitur quam sit id quod in questione versabatur.

2^o *Petitio principii*, quæ habetur quando id quod probandum erat, pro demonstrationis ipsius principio assumitur ; ut si quis querens utrum sol vel terra moveatur, sic ratiocinaretur : Terra reaps immobilis est ; ergo sol moverit.

Ad petitionem principii, potest revocari *circulus vitiosus*, in quem facilis est lapsus ex petitione principii. Illud sophisma in eo consistit quod ex duabus que sunt probanda, unum per aliud probaretur : ut si quis, v. g., adstrueret existimatam Dei ex eo quod existit mundus, existiam mundi ex eo quod existit Deus verax.

3^o Sophisma, seu fallacia *non cause pro causa*, locum habet quando aliqui rei assignatur tanquam causa, id quod reaps non est causa, uti, v. g., si quis ex eo quod duo eventus sibi immediate succedunt, inferret unum esse causam alterius, dum inter hec facta sit mera successio sine relatione causalitatibus.

4^o Fallacia *accidentis* que habetur cum rei cuiuslibet absolutè tribuitur quod ei non convenit nisi per accidens,

aut secundum quid; uti, in sequenti exemplo veterum sophistarum: Epimenides ait Cretes esse mendaces: atqui Cres erat, ergo mentitus est; atqui idem quia mentitus est, Cretes non sunt mendaces; ergo non mentitus est, etc.

In hoc exemplo aliquid absolute et simpliciter attribuitur quod tantummodo per accidens convenit: Cretes dicuntur mendaces, idem quia frequenter mentiuntur; dum in illatione considerantur tanquam semper, et in omnibus mentientes.

CAPUT IV.

DE METHODO.

95 — *Methodus* (*μετόδος*, *διδος*) generatim inspecta est via ad aliquem terminum, seu ratio aliquid faciendi. Prout consideratur in logica, est via verum assequendi, seu *ordo in operationibus mentis adhibendus iutuvi scientie adipiscendae*. Hinc in methodo tria reperiuntur: principium, ordo seu processus a principio ad terminum, et tandem ipse terminus, seu scientia. Methodus enim potissimum dicitur, non respectu veritatum obviarium que immediato intuitu vel uno syllogismo comprehenduntur, sed in ordine ad veritates abstrusiores quo seriem ratiociniorum exposulantur. Ergo tractatio de methodo ultimo loco venit in Dialectica, quia simplices apprehensiones, judicia et ratiocinia ita disponit ut systema aliquod notum seu scientiam constituant: Hinc sicut simplices conceptus sunt elementa judicij, et judicia elementa ratiocinii, ita etiam haec tria sunt elementa methodi.

96. — Jam vero haec ars sive discendi sive docendi dupli modo non dicere potest ad veritatem scientificam.

1^o A cognitione confusa *alicuius totius* possumus pergere per gradus ad singulas ejus partes rimandas, in quas totum illud primum resolvimus; et haec methodus dicitur *analytica*.

2^o Incipere possumus e contrâ à simplicissimis elementis alicuius objecti, et paulatim ad elementa magis composita regredientes, pervenimus tandem ad *totius ob-*

jecti cognitionem; et haec methodus dicitur *synthetica*. Verum finis processus sive analytici sive synthetici est scientia.

Hinc in isto capite agemus 1^o de analysi, 2^o de synthesi, et 3^o de scientia.

ARTICULUS I.

De analysi.

97. — Analysis (*ἀνάλυσις*) a verbo græco *ἀναλύω, re-solvo*, juxta vim vocis, *resolutionem* indicat. Quotiescumque ergo fit resolutio alicuius rei composite in elementa componentia, analysis habetur. Ex.: Si ratiocinium solveretur in judicia, judicium in conceptus, adhuc eretur methodus analytica. Si analysis versatur circa res ipsas, vel conceptus concretos, dicitur *experimentalis*, si vero versatur circa conceptus abstractos, vocatur *rationalis*.

Hic generalissimus analysis conceptus facilime intelligi potest; sed dum haec in variis applicationibus consideratur, tunc non adeò patens est processus analyticus ut ejus distinctio a synthesis acutissimam attentionem non exigat. Mirum ergo non est quod tirones, qui philosophiae operam dant, saepenumero veram utriusque methodi indecet non capiant.

98. — Ut res fiat clara, 1^o præ oculis semper haberi debet conceptus analysis, que in eo sistit ut *aliquid totum* in partes resolvat, *qua singillatim inspicuntur*; 2^o Distinctè sciendum est quid sit totum, quid pars in variis rerum generibus: sic compositum respectu simplicis, singulare respectu universalis, universale respectu universalioris, haberi debent ut *quædam tota*.

Hinc a compositis ad magis simplicia, a singularibus ad universalia, a minus universalibus ad magis universalia, ab effectibus ad causam, etc., progreditur. Comprehensione enim simplicis, universalis, universalioris, minor est comprehensione compositi, singularis, minus universalis. Idem dicendum est de effectu respectu cause, nam in comprehensione notionis effectus ingreditur tanquam pars notio cause.

Diversa haec tota revocantur ad genus totius actualis;

sed propter totum actuale, datur etiam totum potentiale. Ideo considerari debet methodus analytica respectu totius actus et totius logici seu potentialis.

99. — Per *totum actuale*, illud intelligitur *quod essentiam compositam habet, et constat partibus actu conjunctis*; v. g. homo.

1º Quando partes sunt *realiter* distinctæ et separabiles, dicuntur partes *physicae*, et ipsum totum dicitur *totum physicum*; v. g. homo, cuius partes sunt anima et corpus.

Partes *physicae* sunt vel *essentiales* vel *integrales*:

Essentials sunt ea quae tolli nequeunt quin totius conceptus percat, ut in exemplo superius proposito.

Sunt *integrales*, quando sine ipsis totum esset, sed non integrum: v. g. in homine, pedes, manus, oculi, etc.

Ad totum *physicum* revocari possunt totum *modale* quod constat pluribus modis eidem subiecto inherenteribus, neconon totum *virtuale* seu *potestativum* quod constat pluribus facultatibus in eadem natura radicatis.

2º Quando partes non sunt realiter distinctæ, sed tantum per mentis considerationem possunt distinguiri, dicuntur partes *metaphysicae*, et compositum dicitur *totum metaphysicum*: v. g. genus et differentia, seu animalitas et rationalitas in homine.

3º Tandem totum potest constare multitudine entium rationarium que inter se relatione aliqua *moralis* connectuntur, cajusmodi sunt civitas, res publica, nempe omnes sociates: illud totum actuale dicitur *moralis*.

100. — Totum *potentialis* dicitur omnis *idea universalis respectu inferiorum* que *sab extensione sua continet*. Vocatur etiam *logicum* quia illud universale, quod efformatur, pertinet ad ordinem idealem seu *logicum*. Dicitur *potentiale*, quia haec nota universalis *potest* suis inferioribus applicari, unde *potentia* tantum et non actu haec inferiora complectitur.

Partes totius logici dicuntur *subjective*, quia ipsum universale de singulis dicitur tanquam de subjectis.

101. — Totum ergo *potentialis* partes habet in *sua extensione* ac proinde propriè dicitur *omne*, dum totum actuale partes complectitur in *sua comprehensione*, et propriè dicitur *totum*. Hinc analysis utrumque respicit: Toti

LOGICÆ PARS I.

61

applicatur actuali, dum hoc resolvit in sua elementa, et tunc propriè dicitur *resolutio*. Toti potentiali duobus modis applicari potest, scilicet a toto descendendo ad partes, vel a partibus progrediendo ad totum: cum singulæ partes subjectivæ in sua comprehensione includant hanc ideam universalem, quae vocatur totum potentiale, fit ut resolutio comprehensionis ejusque partis det illud totum. At dum minuit comprehensionis alieuius notionis, angescit ejus extensio (52), seu *collectio* subjectorum, quibus competit.

Exinde videtur quare methodus analytica respectu totius actualis a veteribus, post Aristotolem, *resolutio* (ἀνάλυσις), dum respectu totius logici *collectio* (καταστροφή) ab iisdem vocabatur.

Sed recentiores methodum resolutionis, et collectionis appellant simpliciter methodum resolutionis, nam in utraque methodo, universale superius ex inferioribus colligimus, siquidem inferiorum conceptum resolvimus, et, neglectis his in quibus differant, notiemus communem determinimus.

102. — Methodus analytica potest ideis applicari, et hec applicatio constat *definitione* et *divisione*; per definitionem enim et divisionem aliquod totum varie resolvitur in elementa quibus coalescit, ut melius cognoscatur. Potest etiam judicis applicari, tunc datur quidam processus analyticus, qui dicitur *Inductio*. Hinc agendum est de illis tribus operationibus mentis quae analysi constant. Utrum in ipsis concurrat etiam synthesis postea videbimus.

§ I. De definitione.

I. Quid est definitio?

103. — Ideas aliquando ex obscuris claræ offici debent ut ad ordinem scientie evanthur. Porro ideas efficitar clara quando ab aliis ideas dilucidè distinguuntur, quod fit per definitionem; igitur *definitio* potest describi: *oratio explicans quid sit rei de qua agitur, vel quid per vocem quamdam intelligatur*.

Definitio explicat sive naturam rei, sive significacionem nominis; undè duplex definitio, altera nominalis, altera realis, prout *nomen* vel *rem* explicat.

104. — *Definitio vocum* fit 1º explicando quid vox significet, juxta usum, et haec definitio *usualis* potior est. 2º Tamen aliquando definitio nominalis perficitur ex etymo, dum vocis significatio ex ejus origine grammatica eruitur: Sensus enim etymologicus indigit usalem. Generatim vox explicatur per vocem clariorum sive alterius sive ejusdem idiomatis. 3º Tandem sensus vocis interpretatur juxta intelligentiam propriam loquentis, et hoc ad aquivocationem effugiendam: ista definitiones dicuntur arbitrarie. Verum tamen vitari debent ejusmodi definitiones quando agitur de vocibus quarum significatio est clara et omnibus eadem.

105. — Definitio realis ea est que rei naturam explicat per enumerationem notarum que pares sint ad rem ab aliis sacerendam.

Definitio realis est triplex, scilicet *essentialis*, *descriptiva* et *genetica*.

1º *Definitio essentialis*, que propriè definitionis nomen meretur, ea est qua rem explicat enumerando notas essentiam seu speciem constituentes, sive haec note sint partes physice, sive sint partes metaphysice.

Si hominem definias: compositum ex animâ rationali et corpore organico, fit definitio *essentialis* adhibendo notas quo sunt partes essentiae physice; si definieretur: animal rationale, haec definitio *essentialis* confinatur per notas quo sunt partes essentiae metaphysice.

2º *Definitio descriptiva*, seu *descriptio*, rem explicat sive per causas proprias (aut efficiemt, aut finalem, aut exemplarem, etc.) et tunc dicitur *causalis*; sive per proprium: v. g., homo est animal sermonis capax, in quo casu dicitur *propria*; sive tandem per accidentia, seu qualitates accidentiales, soli rei descriptae convenientia, sicuti definitio hominis quam dedit Plato: animal pulchrum, implume, bipes, habens caput erectum; et haec definitio dicitur *accidentialis*.

3º *Definitio genetica* ea est qua rei *genesim* refert, seu modum, quo res dignitur: v. gr., circulus est curva linea que efficitur per lineam sese vertentem circa fixum punctum. Definitio haec differt a causal, quia non solammodo

rei causam memorat, sed etiam modum describit quo res a sua causa dignatur.

Hinc definitio *descriptiva* et definitio *genetica*, quae dare nequeunt ideis nisi majorem claritatem, primiti debent definitio *essentiali*, que has ex claris distinctas etiam efficit, et postponi definitioni nominali.

II. De legibus definitionis potissimum *essentiali*.

106. — Leges rectae definitionis ad quatuor revocari possunt.

I. Ex parte *definitionis ipsius*.

1º reg. *Omnis definitio clarius sit definito*, nam munus definitionis est definitum clarius reddere: hinc si definitio est nominalis, debet fieri per notiora vocabula: si est realis, per res definito notiores.

2º reg. *Genere proximo et differentia specifica tantum contescat*, aut saltem aliquo locum generis et differentiae tenente: hoc enim modo peracta non erit latior nec angustior definitio, sed toti et soli definito convenit. Etenim prima pars alia metaphysica, *genus proximum*, definito convenit et simul alia species huius definito parallelis, ac proinde indicat in quo natura rei definitio cum aliis rebus convenit. Dum autem huic parti metaphysicae, alia adiiciunt pars, nempe *differentia specifica*, indicatur id in quo definitum ab aliis rebus differt, seu id quod est proprium; et idem per has partes metaphysicas, rei natura declaratur, ut in se cognoscatur, neconon in suis relationibus tam convenientia tam discrepantia cum aliis omnibus.

In hac regula diximus: *aut saltem aliquo tenente locum generis et differentiae*, in descriptionibus scilicet, nam aliando res definenda nonnisi per analogiam habet genus et differentiam; et sapis latet utrumque.

Nota. Si definitio hisce tantum elementis constat, in ea nihil erit superfluens et nihil desiderandum, unde sequens regula dialecticorum: *definitio nec sit superflua, nec diminuta*, fluit ut corollarium ex hac 2º lege. Quando in definitione aliquid est redundans, nisi sit *proprium*, fit confusa, et omni definitio non convenient; nam nota superflua, quae non est *essentialis*, non potest dici de omnibus

inferioribus speciei definitæ. Si definitio est diminuta, non solum definito convenit; nam res remanet indeterminata, ac proinde alii pluribus præter definitum, applicabilis.

3^o reg. *Definitum in definitionem non ingrediatur*, nec aperie nec latenter, nam aut definitio esset redundans, aut in circulum vitiosum impingeret, seu obscurum per obscurum explicaretur.

4^o reg. *Non sit negans*, nam talis definitio esset lator definito, et non declararet quid sit res, sed quid non sit. Si tamen de duabus oppositis ageretur, tunc altero affirmatè definito, alterum per primi negationem definiri posset. Ex. : Si finitum defines : id quod certis limitibus coartatur, infinitum definire poteris : quod limitibus non coartatur.

II. — Ex parte definiti, si propriè definiri debeat :

1^o *Definitum sit per se unum* non multiplex nec unum per accidens tantum : illius enim solius cui vera inest natura, *definitio* dari potest : hinc complexa, ut sic, non definitiuntur ; concreta non definitiuntur nisi secundum formale significatum : hinc etiam vox aquivoca, ut definitiuntur, dividì debet in variis suas acceptiones.

2^o *Definitum sit compositum*, compositione saltem metaphysica et universalis, aliquin nec genere nec differentia constaret.

107. — *Corollerium*. Ex hactenus enucleatis circa naturam aut circa leges definitions colligimus :

1^o. *Omnia proprie definiri non possunt neque debent.*

I. *Non debent*. — Prob. 1^o Aliquid non potest definiri nisi per notiones clariores re definitiā : Atqui si omnia essent definitiā, haec notiones clariores per alias magis claras illustrari deberent, et sic in infinitum ; ac proinde qualibet definitio semper indefinita experietur notiomū inferiorum illustrations, et sic nūliz essent notiones ex se clare. Ergo nunquam definitio dare posset claram et determinatam rei concepcionem, et idcirco impossibilis prorsus evaderet.

2^o Res obscure definitionem postulans nunquam posset describi nisi per res obscures, et idcirco nulla dari posset definitio propriè dicta seu explicans quid sit res.

II. *Non possunt*. Præterea quedam sunt notiones

simplices quæ simplicissimam habent comprehensionem, nulloque genere continentur, nec proindè possunt in partes resolvi, aut ad aliquod genus revocari : v. g. notiones transcendentaltes. Aliæ sunt notiones quæ carent differentia specifica, v. g. suprema genera, differentiae ultimæ ; vel quarum differentiam ignoramus, v. gr. individua, &c. Ergo omnes iste notiones propriè definiti non possunt. Solummodo definitiū species sive supremæ, sive intermediae, sive infimæ, quarum constitutiva cognoscimus.

2^o. *Qua proprie definiti negantur, possunt tamen describi*, ita ut mentis attentio in ea dirigatur, earumque idea clara effulget. Diversis autem modis describantur vel pro sua diversitate, vel per negationes, vel per relations, vel per opposita.

109. — *Scholium*. Aristoteles dupliceum proposuit methodum definitiū essentialiē inventiā : 1. *divisicam*, qua id quod certè est communius re definitiā assumitur, atque in suas partes subjectivas dividitur et subdividitur, si opus est, donec inventiā nota aut complexus notarum qui cum re definitiā reciprocet; 2. *collecticam*, quæ exorditur a consideratione individuorum quibus nomen rei definitiā tribuitur, et neglectis notis individualibus, eritur ratio communis omnibus : postea detractis differentiis specificis, ratio generica obtinetur distincta.

§ II. De divisione.

I. Quid est divisio?

110. — Quando idea quedam generatim inspecta remanet *confusa*, in divisione inventitur methodus eam distinctiorem reddend. Divisio enim est totius in suas partes distributio; partes autem, cum in toto non clarè et distinctè percipiuntur, divisione semel peracta, singillatim considerari possunt, et sic aliæ ab aliis discerni. Exinde patet divisionis utilitatem magnam esse, quia reddit ideas distinctas tollit aquivocationes terminorum et ambiguitates orationis, hincque memoriam juvat.

111. — Divisio potest versari circa *voce*s vel circa *res* : Divisio vocis, qua proprie dicitur *distinctio*, est distributio vocis aquivocae et orationis amphilogiae secundum

sus diversas significaciones. Divisio rei, quo proprio nomine *divisio* appellatur, ea est quam antea descripsimus.

Divisio, quo totum distribuit in suas partes, fieri debet diversa *juxta diversitatem totius*. Porro totum, ut antea diximus (99, 100) est vel *actuale* vel *logicum*.

1^a Totum actuale distribui potest in partes physicas vel metaphysicas (100, 1^a, 2^a), et exinde divisio dicitur *physica* vel *metaphysica*. Partes physicae sunt vel *essentiales* vel *integrales*; ac proinde divisio fieri potest secundum partes essentiales vel secundum integrales (100, 2^a). Divisio metaphysica fit juxta partes essentiales et metaphysicas (100, 2^a).

Ens simplex non est capax nisi divisionis metaphysicae, dum ens compositum utrinque divisionis capax est.

2^a Divisio totius logi, et generatim cuiuslibet totius, potest fieri per se aut per *accidentem*, prout totum distribuitur in partes quas per se continet vel secundum partium proprietates aut accidentia. Hinc divisio totius logici fit per se, quando genus in sua species aut in differentias distribuitur. Divisio dicitur per accidentem, quando membrum dividientia per se non sunt partes rei divisa. Haec divisio dicitur *modalis* seu *totius modalis*. Tres sunt modi hujus divisionis *secundum accidentem*: 1^a Divisio subjecti ratione accidentium: v. g., homo est vel albus, vel niger, vel cupreus, etc. 2^a Fieri potest divisio modi seu accidentis ratione subiectorum quibus inheret, ut cum dicit: Appetitiones aliae sunt in homine, et aliae in brutis. Tandem 3^a divisio modalis fieri potest assumendo medium aliquem, qui ratione aliorum accidentium dividetur: Amara sunt vel salubria vel nociva.

II. De legibus divisionis.

112. — 1^a lex. *Divisio sit adequata*, scilicet ita fiat ut membrum simili sumpta totum adequate. Ratiō hujus regulae est evidens.

II^a lex. *Totum exceedat quamlibet partem dividendem*. Nam pars non potest adequately totum, multominus superare.

III^a lex. *Unum membrum divisionis alterum includere*

non debet, secus una pars bis repetenter inducereturque confusio: v. g. si globus terrestris dividetur in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam et Italiam, haec divisio esset vitiosa.

IV^a lex. *Divisio sit proxima*, nempe fiat primò in proxima et immediata membra. Dein, si opus est, haec notio, que jam in omnes notiones inferiores fuit distributa, iterum dividatur secundum has notiones inferiores, que eodem modo perficiuntur, scilicet in suas partes proximas et immediatas. Membra sunt proxima et immediata quando immediate totum constitut, non vero partem ipsius. Substantia, juxta hanc regulam, distribueretur 1^a in incorporam et corpoream, 2^a corpora subdividetur in organicam et inorganicam etc.

Nota. Cavendum est tamen ne subdivisiones ita sint numerose ut ad minimas usque paries sine utilitate deviniamus. Ad precavendum hunc defectum Scholastici addere solent hanc regulam: *Divisio sit brevis*. « Simile confuso est, inquit Seneca, quidquid usque ad pulverem sectum est. »

Ratio quartae regulae est quod si fieret saltus in dividendo, non ordo et distinctio idearum oriretur, sed confusio; quod est contra scopum divisionis.

§ III. De inductione.

113. — Methodus analytica potest etiam judicis applicari. Quando in veritate aliqua expendenda, a *subjecti* consideratione exordiuntur ut deveniamus ad notionem *predicati*, methodus dicitur analyticus. Etenim a notione *minus universalis*, scilicet a *subjecto*, quod est aliquod totum, ad notionem *magis universalis* devenimus, nempe ad *pradicatum*, quod est pars ipsius *subjecti*.

Sed pariter fieri potest quod a consideratione, non *unius subjecti* sed *plurium* *subjectorum* exordiatur, ut devenimus ad notionem communem his *subjectis*; que propterea notio est universalis respectu *subjectorum*. Hic processus analyticus dicitur *inductio*.

Inductio (*enarratio*) generatim sumpta, est transitus omnis a singularibus ad universale. Sed 1^a aliae notiones

sunt singulares, et aliae universales (34) : dum ergo fit transitus a singularium cognitione ad ideas universales, fit aliquo sensu *inductio in ideis*. Ad ideam universalem assurgimus a singularibus exordiendo, quando essentials istorum notas deprehendimus, notionibus individuanibus relictis. Ex. gr. : Habeo ideam hujus pruni vel hujus fagi, et exinde eruo has tantum notas quae naturam arboris constituent; tunc habeo arborem in genere. Hie conceptus est idea universalis, qua inductione seu abstractione obtinetur.

De hoc processu, a quibusdam recentioribus inductio, ab aliis *generalisatio* appellato, in presenti nobis non est sermo; nam hic processus, quatenus idem est ac generalisatio naturalis seu simplex abstractio, in questionem psychologicam de origine idearum incidit. Quatenus vero revocaretur ad generalisationem *artificialem* et reflexam, non esset quid aliud quam illa operatio qua mens ex diversis objectis, vel etiam ideis universalibus, invicem comparatis, notas abstrahit, quibus convenienti, illis neglectis quibus differunt. Quapropter subjacet legitima inductionis proprieta dicta, et ducere valet ad rectam *classificationem*, quatenus suppediat seu manifestat diversos gradus universalitatis notionum.

114. — 2^o Judicia etiam alia sunt universalia et alia particularia (61). Porro inductio proprio sensu dicitur de transitu propositionis singularis ad universalem.

Jam vero judicia universalia sunt vel immediata vel mediata (60). Quoad judicia analytica immediata, inductione utimur tantum ad intelligentiam terminorum, quatenus singularia aliquo modo adhiberi possent ad hanc cognitionem obtainendam; sed terminis semel intellectis, nexus per se patet.

Igitur ratio efformandi haec judicia, sicut et ideas universales, perparva considerare tantum methodus scientifica, et a fortiori tantum methodus syllogismo *opposita*. Etenim in utroque eas agitur simpliciter de *abstractione*, que profecto respectu syllogismi est operatio distincta et prævia.

Hie tantummodo agitur de inductione spectata ut est

methodus scientifica, scilicet de illo transitu a singulari ad universale, qui fit per *modum argumentationis*.

Circa hanc inductionem quereremus 1^o quid et quo duplex sit; 2^o an et quomodo a syllogismo distinguitur?

115. — 1^o Inductio sic determinata potest describi : *argumentatio qua de subiecto universalis affirmamus quod experientia de singulis aut de pluribus ejus inferioribus detecta*. Antecedens hujus argumentationis peractum refert experientiam circa inferiora seu singularia. Consequens de universalis affirmat quod experientia inventit commune inferioribus.

Jam verò antecedens potest omnia individua recensere, et tunc inductio dicitur *completa* : v. g. Galli, Angli, Itali, Germani, etc., colunt scientias et artes; ergo omnes populi Europæ colunt scientias et artes.

Sed plerumque omnia particularia singularium inspicere et experiri est impossibile, in quo casu antecedens *multa* recentit inferiora, sed non *omnia*. Tunc inductio dicitur *incompleta*, et tamen potest dare conclusionem certam : Ex. Corpora, quae hactenus considerantur, sibi demissa deorsum ruunt; ergo omnia corpora sunt gravia. Quando inducit dat conclusionem certam, dicitur *perfecta*: quando probabilem tantum, dicitur *imperfecta*.

116. — 2^o Inductio, ut supra definitur, a syllogismo differre videtur, 1^o in quantum syllogismus ex universali inferit particulare, dum inductio e particularibus ad universale assurgit; 2^o in quantum syllogismus concludit cum medio diverso a termino minori, dum inductio saltem completa sine ullo medio concluderet.

Sed ad 1^{um} discrimen quod spectat, illud se tenet ex parte materiae non ex parte formæ, ac proinde non mutat essentiam.

Ad 2^{um}, inductio non reapse caret medio, nam licet *objective* medium, id est series notionum singularium, idem sit cum subiecto conclusionis, id est cum notione universali, differunt tamen formaliter in modo exprimendi idem objectum, ut concretum ab abstracto, ut pars a *toto*, et hæc differentia formalis sufficit in praesenti casu.

Unde inductio, sive sit completa sive incompleta, revera non differt a syllogismo (1) : Et sane,

1º Si est completa, identitas est obvia; inductio enim ad hanc formulam generalem reduci potest :

Omnibus inferioribus recensitis A, B, C, etc. (*subjecta particul. distributiva*) convenient prædicatum B; seu A, B, C, = qualit. B.

Atqui haec omnia inferiora A, B, C, etc., (*subj. part. collectiva*) quoad communia, sunt identica cum subiecto universalis; seu A B C = subj. U (seu naturam universalem).

Ergo huic subjecto convenient prædicatum commune B; seu U = B.

117. — 2º Inductio incompleta potest etiam reduci ad syllogismum, aut saltem ad plures syllogismos, qui totidem constituent gradus quibus ad conclusionem generalem attollimur. Syllogismus generalis ad quem potest reduci inductio incompleta, in formula sequenti conatur :

Experiendo discimus *aliquid* ita constanter et uniformiter in pluribus individuis reperiiri, ut censeri nequeat fortuitum et accidentale in ipsis, sed *cum eorum natura intrinsecus colligatum*;

Atqui natura, cum omnibus quibus constat, est communis omnibus suis inferioribus;

Ergo hic effectus, hoc phenomenon aut haec proprietas est etiam communis omnibus individuis hujus naturae, seu est aliquod universale.

Major hujus syllogismi, præludentibus his principiis : *effectus constans et uniformis requirit causam etiam constanter et uniformem*, et, sola constans uniformisque causa est natura, ex ipsa colligi debet experientia, quia

(1) Juxta Aristotelem, Albertum Magnum, etc., inductio differet a syllogismo 1º ratione principi : exorditur a singularibus seu ab illis que sunt notiora nobis, dum syllogismus exorditur ab universalibus, nempe ab eius quae sunt notiora in se; 2º ratione modi, quo procedit : Sicut modis concludit, unde non esset neque syllogismos complebus neque entymemata. Juxta Wolfium, Gallupium, etc., esset e contra purum entymema.

toties iterari et variari debet quicunque id requiritur, ut certò videamus effectum, phenomenon aut proprietatem esse aliquid permanenter et immutabiliter inherens omnibus individuis expertis, ac proinde *cum eorum natura intrinsecus colligatum*, seu alias verbis, ipsi nature pertinet.

Minor, sapienti numero implicita et in mente latens, est aliquod principium universale ordinis idealis (50), et idcirco inductio haec est ratioenium mixtum, ut videbimus infra.

In conclusione, que est judicium syntheticum universale, affirmamus simpliciter proprietatem, qua ad ipsam naturam pertinet, esse communem omnibus omnino individualiis hujus naturae.

Igitur inductio sive completa, sive incompleta, saltum spectata *forma*, nequit haberi ut argumentatio diversa a syllogismo. Forma enim syllogismi in eo sicut sit quod fiat conclusio vi comparationis *cum medio*; porro inductio non propriè caret medio, ut constat ex dictis.

118. — Quando igitur inductio consideratur tanquam argumentatio a syllogismo diversa, haec distinctio potissimum respicit inductionem completam, et fit ratione *materia*, non ratione *formæ* (1). Docet utique Aristoteles per syllogismum probari conclusiones quarum est medium, inductione autem conclusiones que non habent medium (116 nota). Sed semper venit questio utrum inducitio reipsa caret medio, etiam latent in extremis.

119. — Quoad inductionem incompletam seu propriè dictam, cum existant quidam (2) autores cam esse processum mentis a syllogismo diversum, in quantum ab eodem ad diversum, in modo a finito ad infinitum, etc., immediate progrederetur, vi cuiusdam sensus divini, et per fidem quamdam, ad leges universales sub phænomenis existentes, veram inductionis indolem non sufficienter rimati sunt. Defectu accurate analysis hujus inductionis procedit haec sententia. Etenim non animadvertunt inductione hac men-

(1) Fateri tamen debemus id a pluribus gravissimis scholasticis negari : « Inductio, ait Albertus Magnus, in syllogismum reductur materialiter et non formaliter, ita quod forma inductionis reducatur a formam syllogismi. »

(2) Gratry, Jeubert, etc.

tem a particularibus ad universalia non attolli nisi ope iudiciorum immediatorum, sive analyticorum sive syntheticorum, que implicitè remanent recondita in processu inductive: v. g. *omnis effectus habet causam aut rationem sufficientem; natura est communis omnibus iudicis ejusdem speciei*, etc. Vi horum principiorum mens ad conclusiones generales devenit.

120. — *Scholium I.* Inductio completa qua utuntur geometres, sicut et inductio incompleta qua passim adlibetur in algebra, dum, v. g., formulas generales aut indefinitas constituit haec scientia, semper reducuntur aut reduci possunt ad quasdam adequationes, nempe ad syllogismos.

121. — *Scho. II.* Id quod affirmat consequens aliquis inductionis dicitur metonymice *lex*, quæ in praesenti idem sonat ac modus constans et uniformis qui in agendo servatur. Lex est physica vel moralis, prout agitur de factis physicis vel moralibus.

122. — Ex dictis patet methodum analyticam non ita inductionem complecti et exhaustire, ut hec argumentatio in quibusdam methodo synthetica non utatur; siquidem quoad formam, revocatur ad syllogismum, qui generatim consideratus, ad processum syntheticum pertinet.

Ast, quia inductio auspicatur a minus universalibus ut deveniat ad universaliora, debet dici processus analyticus, licet interim synthesis utatur. Processus enim dicitur analyticus aut syntheticus ex ordine seu relatione exordii argumentationis ad ultimas conclusiones, ad quas conducti. Si exordium est magis simplex seu universalis quam ultima conclusio, processus erit syntheticus. Si principium unde ordinatur argumentatio, sit magis compositum quam ultima illatio, processus erit analyticus, licet in decurso argumentationum modo componat, aliquando dividat.

ARTICULUS II.

De syntesi.

123. — Synthesis (σύνθετη) a verbo greco συν τίθηναι, compono, derivatur, et propterea, juxta vim vocis, idem sonat ac *compositio*. Sicut ergo analysis dicitur methodus

divisionis, ita synthesis dicitur methodus compositionis. Synthesis, non secus ac analysis, est *physica vel logica*. Et cum semper a partibus progrediatur ut ex eis totum constitutum, supponit analysis, cui succedit.

124. — Methodus synthetica ab universalioribus seu simplicioribus exorditur, ut ad notiones particulares seu magis compositas deveniat. Nam ut conceptus universalior fiat minus universalis aut particularis, sibi copulare debet quasdam notiones, quæ in tantum restringunt eum extensionem, in quantum augent ejus comprehensionem; et sic, per hanc adjectionem notarum, conceptus simul summa auget compositionem, et aliquam amittit partem sue extensio-nis seu universalitatis. Merito igitur methodus qua ab universalis ad particolare devenimus, dicitur methodus compositionis, seu synthesis.

Ez gr. A conceptu *existenti* ad notionem *hominis*, qua respectu prioris est minus universalis, devenimus per adjectionem notarum, quæ universalitatem viventis per gradus restringunt. Vivens enim aliud est *materiale*; et aliud *immateriale*; sed vivens *materiale* potest concepi tantum *sensu præditum*, et tunc dicitur animal. At vivens 1^o *materiale*, 2^o *sensu præditum*, potest 3^o esse *rationale*, et sic, per adjectionem hujus tertiae notionis, exsurgit conceptus hominis.

Hinc, dum conceptus generalior componitur per appositionem variorum notionum, fit minus universalis, et in tantum decrescit universalitas in quantum augent haec compositionis. Si conceptui hominis alias adiicerem notas, in sua universalitate statim coartaretur: homo *albus*, *parvus*, *doctus*, etc.; plures enim sunt homines albi quam homines simul albi et parvi; et plures sunt homines una albi et parvi quam homines simul albi, parvi et docti, etc.

Ergo synthesis reddit ideas magis compositas et minus universales.

125. — Sed potest etiam applicari synthesis ad veritatem judiciorum explanandam, et tunc habet rationem methodi propriæ dictæ.

Cum in judicis attributum magis pateat quam subjectum, cujus est quedam nota seu pars metaphysica, synthesis, secus ac analysis, in judicis debet exordiri a

consideratione *attributi*, ut ad *subjectum* deveniat via compositionis. Porro haec via non est semper adeo plana et simplex ut nexus inter attributum et subjectum statim et sponte sua patet; ab uno ad alium se penumerò non fit gradus nisi per seriem ratiociniorum, et exinde methodus synthetica proprie dicta requiratur.

Hinc de methodo synthetica in ratiociniis speciatim agendum est. Consideratur 1º quatenus ratiocinium generatum inspectum afficit, 2º quatenus formam supeditat in disputando, denique 3º in quantum latè spectata, materiam coaptat in demonstrando.

§ I. De synthesis in ratiociniis.

126. — Generaliora principia seu axioma sunt fontes aliorum judiciorum, et ideo priora in ordine disciplinae. Jamvero per ratiocinium, quod effat *dictum de omni*, *dictum de nullo* nittitur, hic transitus a generalioribus principiis ad minus universalia pergitur, ac proinde ratiocinium ad methodum syntheticam rectè revocatur, non secus ac inductio ad methodum analyticum. Verum, ut constat ex antea dictis, ratiocinium, et speciatim syllogismus, non ita utitur methodo synthetica, ut tamen quandoque formam analyticam non induat, v. g., in inductione.

127. — Quando aliqua demonstratio ab axiomaticis aut generalissimo principio exordiens, per diversas applicaciones horum principiorum devenit ad particulares conclusiones, atque ita per gradus progreditur ut veritas generalior antecedens sit ratio sufficiens veritatis specialioris consequentis, uti contingit, v. gr., in geometria, talis demonstratio procedit per methodum syntheticam. Nam tota haec ratio demonstrandi, quaæ serie syllogismorum coalescit, nittitur effato *dictum de omni* (74, 1º); præterea subaudit veritatem jam detectam, opus methodi inventionis, ac rite dispositam: exinde dicuntur methodus *doctrine* seu magisterii.

§ II. De syllogistica disputandi forma.

128. — Disputatio late sumpta est quilibet argumentatio ad alterum, ad aliquid ei suadendum. Si finem inten-

tum spectemus, totuplex distinguitur, quotuplex intendi potest finis. Dicuntur :

1º *Apodictica* « seu demonstrativa lato sensu, quum instituitur ad aliquam veritatem alteri suadendam, vel confirmandam; 2º *elenctica*, seu redargutiva, si fiat ad sententiam ab altero statutam impugnandam, sive hujus falsitatem ostendendo, sive contradictoria veritatem stabilendo; 3º *apologetica*, quando veritatem impugnatam tuendi causa institutur; 4º *oppositiva*, quando fit ad adversarium cogendum ut sibi contradicat, vel ut aliquid admittat sive veritati manifesto, sive opinioni vulgo receptæ contrarium. Sed quando, duobus inter se argumentantibus, unus impugnat, alter defendit eamdem sententiam, habetur conceptio scientifica, seu disputatio stricto sensu sumpta, cuius finis non est solumente veritatis defensio, vel erroris confutatio, sed etiam ingenii doctrinasque experimentum, aut facultatum intellectivarum evolutione.

Si formam nunc attendamus secundum quam instituitur, triplex distinguitur disputatio : 1º *communis*, quum liberum disserendum modum servat, ut in colloquii quotidianiis; *socratica*, dum per interrogaciones et responsiones procedit, sic artificiosæ quæsitas et gradatim dispositas, ut interrogatioibus positis, necessariò dentur responsiones intentæ; 3º *sylogistica*, quando severa syllogismi forma utrinque concluditur : hec frequentissime adhibetur, atque est veluti aliquæ applicatio processus synthetici ad *quasdam partes* alieijus scientie. Haec methodus disputandi etiam *scholastica* nuncupatur, quia media ætate a Scholasticis constanter fuit usurpata, et est quam maximè accommodata ad finem disputationis, nempe ad veritatem dilucide manifestandam, neconon ad intelligentiarum evolutionem.

129. — In hac ratione disputandi methodus regere debet sive munus defendantis veritates dispositas, sive officium arguentis contra prædictas veritates.

Qui thesim *defendit*, debet :

1º Totum argumentum adversarii fideliter repeteret :

2º Regrediendo postea ad argumentum initium, iudicium ferre circa totum ratiocinium ejusque partes modo sequenti :

Si forma recta non est, consequentiam statim neget, de praemissis non judicans; si forma sit recta, debet singillatim omnes partes diligenter rimari.

In hac secunda hypothesi, quod singulas propositiones, concedat veram, neget falsam, quin tamen negationis rationem addat.

Si quedam reperiuntur propositiones quae ad rem non faciunt, transmittat seu permittat.

Si propositum sit ambigua, eam distinguat, concedens sensum verum et negans falsum.

Peracta haec prima distinctione, quando remanent membra sequivoca, flexiloqua seu ambigua, adhibeat *subdistinctionem*, qua clarius declarabitur sensus propositionis: deinde admittat vel rejiciat diversa membra subdistinctionis.

130. — Quod munus arguentis debet ita argumentum proponere ut ejus conclusio sit propositae theses contra-dictoria.

Argumento semel proposito, ad defendantis responsionem debet attendere.

Si consequentia aut aliqua præmissa negaretur, eam probare debet.

Si defensio aliquam adhibeat distinctionem, tunc statim instaurari oportet novum argumentum sive

1^a Impugnando ipsam distinctionem, cui non esset locus; vel

2^a Impugnando distinctionis applicationem; vel

3^a Probando consequentiam ex ea parte quam concessit adversarius.

Antecedens hujus argumenti quod affertur post responsione defendantis, dicitur *minor subsumpta*.

Talis est methodus que viguit apud coloberrimas scholas mediae ætatis, atque etiam nunc viget in scholis Romanis cum maxima utilitate discentium.

131. — Hæc syllogistica disputacionis forma aliquo modo revocatur ad processum syntheticum, quatenus nempo 1^a pertinet ad methodum doctrinæ seu expositionis; 2^a quatenus theses ipsas firmat, carum partibus partim claris lucem dando; et 3^a quatenus per syllogismos pro-

cedit, in quibus exordium ducitur a generalioribus principiis.

§ III. De demonstratione.

132. — Methodus est ratio inveniendi aut demonstrandi. Prout speciatim agitur de ratione demonstrandi, methodus idem est ac *forma* demonstrationis. Porro demonstrare, idem est ac probare judicium quoddam esse sicut effertur, ac proinde omnia que diximus de ratione, analysi atque synthesis scientiarum exhibent *formam* demonstrationis.

Sed demonstratio potest etiam considerari ratione *materiali*, et sub isto respectu, præ divisionibus suis præcipuis, speciatim inspicere debet.

133. — Demonstratio, ratione materia spectata, dividitur 1^a in directam seu *apodiciticam*, et indirectam seu *apagogicam*. Est *directa* quando ostendit veritatem probandam contineri in principio certo; est *indirecta*, quando aliqua propositio probatur ostendendo absurditatem propositionis contradictoriæ: unde etiam dicitur probatio per absurdum.

Demonstratio directa potest esse vel *a priori* vel *a posteriori*.

1^a Demonstratio a priori seu *propter quid* habetur, quando ex eo quod est prius secundum ordinem ontologicum, infurter id quod secundum eundem ordinem sequitur, et a priori pendet: ea causa ad effectum fit illatio per demonstrationem a priori. Dicitur etiam *propter quid*, quia exhibet rationem sufficientem *propter quam praedicatum conclusionis subiecto* inest.

Igitur demonstratio a priori expostulat ut ratio ontologica, seu causa cur res sit, antecedat etiam in ordine cognitionis, id est, sit prius cognita: exorditur ergo ab eo quod est tum in *esse* tum in *cognitione* prius.

2^a Demonstratio dicitur *a posteriori*, quando id quod constitutum principium demonstrationis ontologicæ dependet ab eo quod demonstratur: fit regressus ab effectu ad causam, et ideo dicitur etiam demonstratio *quia*.

Si rationatum prius cognosceretur quam ejus ratio, de-

monstratio ab illo exordium haberet, ac proinde esset a posteriori.

134. — Demonstratio etiam dicitur *absoluta* vel *relativa*, prout exorditur a principio certo, et ab omnibus admisso, vel exorditur a propositione ab adversario accepta, sive vera certave sit, sive non sit. Prima etiam dicitur *ad veritatem* κατ' ἀδύνατον, dum secunda dicitur *ad hominem*, κατ' εὐδόκιον.

135. — In demonstrationibus praesertim mathematicorum, nonnulla adhibentur vocabula quae hic declarari debent, utpote ad methodum pertinientia:

1º *Axioma* est *propositio theoretica* indemonstrabilis, cuius veritas patet sola terminorum definitio. Per propositionem theoreticam hic intelligitur quae affirmat quid sit, vel fiat, dum *propositio practica* ea est quae affirmat quid fieri possit aut debet.

2º *Postulatum* est *propositio practica* quae expostulatur ad dandam aliquam demonstrationem, atque ut evidens habetur, sive jure sive non.

3º *Theorema* est *propositio theoretica* demonstrabilis, dum *problemata* est *propositio practica* demonstratione egena.

4º *Lemmata* est *propositio* que desumitur ex alia scientia in qua demonstratur, neconon adhibetur ut demonstratio quendam perfici possit.

5º *Scholium* est id quod insinuitur ut *propositio* quadam flat clarior; ostendit enim utilitatem, extensionem, relationes hujus propositionis cum aliis; principia ponit quibus solvuntur difficultates.

6º *Corollarium* ea est *propositio* que ab alia propositione certa ita dimanat, ut ulteriore demonstratione non egat.

7º *Hypothesis* est *propositio* conjecturalis que in medium adhibetur, sive ut ejus veritas aut probabilitas per diversas applicationes confirmetur, sive ut aliam collustret propositionem, ejus ratio non certa et evidenter appetit.

136. — Ex haecenca enucleatis questione sequens non pratermittenda solvi potest:

Quoniam sit methodus in tradendis scientias prælia-
genda?

Responsio huic questioni distinctione quadam eget:

1º Vel agitur de singulis questionibus, tunc juxta indelem questionum adhibetur modo analysis modo synthesis, prout una vel altera expeditius et lucidius dat solutionem questionis; hac in re ordo et perspicuitas tantummodo considerari debent.

Quando questio per analysis tractata non longiorem exquirerer expositionem, haec methodus est eligenda, utpote magis accommodata natura mentis humano; sed quia id plerunque non evenit, fit ut generaliter adhibetur methodus synthetica, etiam in singulis questionibus caudelandis.

2º Vel agitur de generali dispositione veritatum quas scientia haec complectitur, tunc methodus synthetica est accurator, quia majorem perspicuitatem et perfectiorem ordinem dat.

137. — Processus generalis qui synthesis utitur in generali dispositione notionum, dum in singulis questionibus modo analysis, modo synthesis adhibet, dicitur methodus mixta.

ARTICULUS III.

De scientia.

138. — Methodus ad scientiam assequendam nos dirigit, unde jam peracta tractatione de methodo, ad ejus finem, qui est scientia, migramus est.

Circa scientiam querere debemus quid et quotuplex sit.

§ I. Quid sit scientia?

139. — Nomen *scientia* modo ampliorem, modo arctiorem significationem habet. Omission significationibus abusivis.

1º Aliquando scientia significat quamlibet cognitionem evidenter certaque veram, sive per se notam, sive demonstratione comparatam, et sic opponitur errori, opinioni et fidei.

2º Quandoque vero scientia restringitur ad significantiam notionem que per demonstrationem acquiritur. Definitur ab Aristotel. (I. Post.) : « cognitio rei per causam,

per quam res ita est ut non possit aliter se habere. » Sie distinguuntur tum a cognitione simplicis intelligentiarum, tum a cognitione historica, id est a mera cognitione facti.

3^o Tandem scientie vocabulum adhibetur ad integrum systema notionum denotandum, prout iste notiones circa unum objectum versantur, et sub principiis a quibus procedunt, ordinantur.

4^o Nomen scientie aliquando in sensu subjectivo sumitur ad indicandum *habitu*m qui mentem ordinat ad illud sistema cognoscendum. Logici enim enumerant quinque habitus, seu *virtutes intellectuales*, nempe intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam et artem.

Nos in presenti scientiam consideramus quatenus est sistema notionum quo circa unum objectum versantur.

140. — Ad scientiam propriè dictam constituendam tria requiruntur :

1^o *Dogma quoddam princeps*, seu summum principium quod continet rationem omnium notionum quae ad hanc scientiam pertinent;

2^o *Complexus notionum particularium* quae ad primum principium referuntur;

3^o *Nexus* quo notiones derivatae, et principia quae sunt fontes, mutuò colligantur. Primum principium est *causa propria* hujus scientie, et omnes aliae notiones respectu primi dogmatis habent rationem *effectus*.

His omnibus coalescit objectum adequatum scientie.

141. — Per *objectum* aliquius facultatis aut scientie generatim intelligitur id quod ipsi considerandum *objicitur*, seu circa quod talis facultas aut scientia versatur, sicut, v. g., objectum visus est id quod huic facultati objectitur, nempe colores; objectum scientiarum sunt res de quibus tractant tales scientiae. Unde generatim objecta scientiarum dicuntur res ad quas mente capiendas ferimur.

142. — Illud objectum scientiarum bifarium dividitur, scilicet in objectum materiale et in objectum formale. *Objectum materiale* est ipsa res circa quam scientia versatur; *objectum vero formale* est id quod in tali re facultas aut scientia attingit. Res ergo prout est in se, videlicet, cum proprietatibus et notis *omnibus* quas habet, est objectum materiales scientie; et res eadem, prout consideratur

solummodo secundum notas quas in ipsa conspicit scientia, dicitur objectum formale.

Ex. : Objectum materiales Geometrie sunt corpora, dum ejus objectum formale est corporum extensio; objectum materiales Mechanice sunt etiam corpora, dum eorum mobilitas est objectum formale. Ista scientie considerant corpora, non autem sub omni respectu, sed tantummodo propter quibusdam notis aut proprietatibus.

Objectum formale, quod descripsimus, appellatur a Scholasticis objectum *formale quod*, seu *terminativum*: consideratur in esse rei, seu quatenus in objecto materiali comprehenduntur.

Sed scientia, non nisi adminicculo cuiusdam medii suum objectum attingit atque determinat. Illud cognoscendi medium, quo scientia utitur ad suum objectum cognoscendum determinandum in ambitu objecti materialis, numeratur *ratio sub qua*; appellatur etiam objectum formale *quo seu sub quo*, aut *motivum*, quatenus referuntur ad intellectum, seu cum movet ad cognoscendum.

Rationes ergo quibus res aliqua sese manifestat intellectui, dicuntur cognitionis objectum formale *sub quo*: sunt vel *intrinsecæ* vel *extrinsecæ* objecto *quod*. Rationes intrinsecæ manifestantes, iterum vel *identificantur* cum veritate manifestata, que proinde dicitur se manifestare per seipsum vel sunt *rationes aliae precognitæ*, per quas veritas cognoscenda in illis inclusa manifestatur.

Strictius, objectum formale *quod* est id quod in objecto materiali determinatur per rationem *formalem sub qua*, seu est objectum de quo talis scientia agit *primo et per se*. Hac *ratio formalis determinativa* objecti materialis, seu qua mediante objectum formale *quod* obtinetur et cognoscitur, est objectum formale *quo seu sub quo*.

Ex. : Objectum materiales Philosophie sunt res omnes; ejus objectum formale *quod* sunt ultime harum rerum rationes; *ratio sub qua*, seu objectum formale *quo*, est rationeum.

142. — Ex objecto materiali et formalis fit *integrum seu adequatum objectum*, quod vocatur etiam *materia circa quoniam*; dicitur etiam a quibusdam *subjectum attributionis*, ex quo proprietates de quibus agit scientia,

ipsi attribuuntur, ac proinde ipsum proprietatibus sub-
sunt. Verum communis definitur *subjectum attributionis*: id eius cognitio potissimum intenditur, et ad quod
alia omnia, qua in scientia tractantur, referuntur. Et ea
qua referuntur ad subjectum *attributionis*, constituant
objectum attributionis.

Ad indolem scientie melius determinandam nonnullas
theses stabilimus circa ejus objectum.

143. — THESIS I. *Scientia est de universalibus, non vero de singularibus.*

Illud principium, a Platone propositum, ut scientie cer-
titudinem contra Protagoram vindicaret, et apud philoso-
phos receptissimum, sic adstrul potest.

Probatur. 1^o *A posteriori.* Notiones que objectum scientie
constituant, sunt semper rationes pluribus communes,
aut saltem que possunt esse pluribus communes. Atque
ratio pluribus communi est *unum habens habitudinem ad
multa* (48, 49). Ergo objectum scientie est semper aliquod
universale.

Quoad majorem animadvertisendum est scientiam esse
ordinis intelligibili adeoque abstracti, seu non sisterre in
sensibilitate que percipit singularia, ut singularia sunt;
proinde quando versatur circa singularia, isthaec conser-
derat quatenus habent quadam proprietates, que *in se et abstracione facta* subjecti singularis spectari possunt.
Quod proprietates in tali subiecto insint, hoc est factum
transiens. Hinc proprietates, etiam individuantes, in scientia
considerantur modo intelligibili et in abstracto, ac
proinde sub ratione communi, seu sub ratione universalis-
tatis accipiuntur.

2^o *A priori.* Scientia est cognitio perfecta; atqui cognitio
universalis perfectionis est, ut talis, cognitione singula-
lari. Ergo.

Scientia est cognitio invariabilis et certa; atqui sola
cognitio que est de universalibus, potest esse invariabilis
et certa. Ergo.

144. — *Corollarium.* Ut ex thesi patet, objectum scientie,
in quantum pertinet ad ordinem idealem, et sic abs-
trahit ab existentia contingenti, debet esse res necessaria.

Hæc necessitas est vel *absoluta* seu ex rerum essentia
resultans, vel *hypothistica* seu ex suppositione legum
physicarum aut moralium orta. Eadem est, ex objecti
parte, conditio sine qua non, seu potius fundamentum
certitudinis qua frui debet scientia.

145. — THESIS. II. *Scientia perfecta illa est qua rem
explicat per causam aut rationem sufficientem.*

Probatur. Scientia perfecta ea est qua 1^o plenè explet
propensionem aut appetitum cognoscendi, atque 2^o inducit
cognitionem rei secundum quid illa res est in se;

Atqui, 1^o mens humana non satis haberet si rem ita
cognosceret ut tamem ignoret *cur res ita sit*; præterea,
2^o res non est in se nisi dependenter a suis causis seu a sui
ratione sufficienti.

Ergo scientia perfecta debet rem explicare per causam,
1^o ut nativa sciendi cupiditas in hac scientia quiescere
possit, nec non 2^o ut res intellectui perfecte repræsentetur
eo modo quo est in se.

Si objectum scientie per causam non explicaretur, tunc
ordo idealis non plene responderet ordini reali, ac proinde
scientia esset imperfecta.

Cor. I. — Ex haec tenus dictis de scientia inferre licet qua-
tuor conditions requiri ad *perfectam scientiam*: 1^o ut sit
certa absque formidine et illa dubitatione, 2^o *evidens* absque
obscuritate, 3^o de objecto *necessario* absque illa vicissi-
tudine, 4^o per discursum propter *quid cum vera et legitima*
illatione unius ex alio.

Cor. II. — Scientia eo perfectior est quod 1^o Magis alta,
magis adequata, magis propria est causa per quam res
explicat; quod 2^o hec causa certius et intimius cognosc-
etur. Hinc scientia *absoluta* perfecta, ea est que res omnes
explicat per causam primam *intuitivæ* cognitam. —
Scientia *relativæ* perfecta, ea est que res explicat per
causam primam perfectiori modo cognitam quo cognosci
potest a nobis.

146. — THESIS. III. *Scientia specificatur ab objecto for-
mali strictius sumpto.*

I. *Specificatur ab objecto.* — *Probatur.* 1^o Actus sciendi
est quidam motus mentis ad objectum hujus scientie.

Atqui motus quilibet a termino specificatur, siquidem norma motus est in objecto, quod ei assignatur ut limes. Ergo motus mentis cognoscentis, seu scientia, debet metri ex objecto prout respondet principiis a quibus mens excedit.

2^a Scientia est quedam intellectualis *representatio*; atque representatio seu imago specificatur per objectum representatum. Ergo.

II. *Representatio ab objecto formalis* strictius sumptio, nempe ab objecto materiali prout determinatur ab objecto formalis *sub quo*. — Etenim 1^o motus specificatur complete, non a solo termino, sed etiam a medio per quod ad terminum tendit; 2^o objectum formale aliquid scientiae constat notis et proprietatis que in re quadam cognoscuntur (142). Porro scientia, que est intellectualis representatio, non representat totum objectum materialie, sed aliquid de ipso, seu formalitate quamdam. Ergo scientia, sicut cognitiones omnes, specificatur ab objecto formalis: representatio specificatur per *id tantum* quod representat.

Cor. Tot sunt scientiae distinguendae, quot adaequata distinguuntur objecta formalia.

§ II. Quotuplex sit scientia?

147. — Scientiae generatim dividuntur 1^o ratione finis; 2^o ratione extensionis objecti, et 3^o ratione relationis ad invicem.

1^o Scientia *inspecto fine* ad quem tendit, dividitur in speculativam et practicam.

Scientia dicitur *speculatoria* quando 1^o circa rem versatur que suum esse non habet a mente; quando 2^o pro fine solam contemplationem aliquid veritatis habet ita ut in se non sit nisi imago, seu expressio sui objecti; v. gr., quid est Deus, quid est homo?

Dicitur *practica* quando 1^o versatur circa rem operabilem, que scilicet ab ipsa dependeat tanquam ab exemplari causa; quando 2^o pro fine habet operationem quam ultimum respicit, et ad quam dirigendam referit ipsam contemplationem veritatis, ita ut in se non sit mera imago,

sed etiam typus seu exemplar sui objecti v. gr., Deus est colendus.

Metaphysica, Theologia dogmatica sunt scientiae speculative; Ethica, Jus sunt scientiae practice.

2^o Ratione *extensionis objecti*, dividitur in partiale et totalem.

Scientia *partialis* definiri potest: *certa cognitio alicuius rei necessaria, habita per propriam ejus causam*.

Scientia *totalis* definitione propriae scientiae supra allatum (139) sibi vindicat, et propterea est *sistema conclusionum demonstratarum que circa unum objectum versantur*. Unitas scientiae ab unitate objecti formalis adequati determinatur.

3^o Scientia, ratione *relationis ad invicem*, distribuitur possunt in primarias seu principes, et secundarias seu derivatas.

Scientia dicitur *primaria* quando ejus *ratio sub qua* ab altera scientia non petitur: v. gr., Philosophia, que sua principia fundamentalia ab aliis scientiis non repetit.

Scientia dicitur *secundaria* quando ejus *ratio sub qua* constat principiis ex alia scientia desumptis: v. gr. Perspectiva respectu Geometrie.

Scientia derivata est semper scientia *subalternata* respectu scientiarum primariorum a qua exordium duxit; verum scientiae primarie possunt etiam sub uno respectu subalternari dum sub alio respectu praesint. Subordinatio enim scientiarum ex diverso capite repeti potest, v. gr., ex nobilitate finis, amplitudine objecti, universalitate principiorum.

SECUNDA PARS LOGICÆ

LOGICA CRITICA SEU MATERIALIS.

148. — In priore Logice parte, exposuimus nexus recitutinis quo cogitationes nostrae inter se colligantur, seu consideravimus *intrinsecas* rationis normas. Objectum for-